

I 14.

12.

Rudolf Agricola<sup>1)</sup> an Vadian.

Krakau. 1511.

Überschwenglicher Dank für einen (als Dedication gedruckten?) Brief und Lob der Gelehrsamkeit Vadians. Ankündigung eines neuen Buches.

Salutem. Essem lupo cervario obliviosior, si tuę frictionis commo-  
dum oblitus fuisset, Ioachime. Quo tibi pacto gratas gratias agam,  
plane sum ignarus. Etsi nomen tuum in ore doctissimorum celebrius reddere  
posse me diffidam, hoc tamen a memori mea mente abolebitur numquam;  
quin si hactenus non stentoreum me tui nominis præconem exhibuerim,  
vocalissimum eruditionis tuę buccinatorem agam. Pro tua tam graphice  
concinniterque<sup>a)</sup> conscripta epistola non est, quo gratificari queam; hoc  
tamen certo tibi certius persuadeas, eum me fore, qualem me prædico,  
hoc est tui nominis quamvis immarcessibilis<sup>b)</sup> declamatorem acerrimum,  
tui studiosissimum, consecraneumque<sup>c)</sup> infatigabili studio incitatissimum.  
Tuę enim litterę, quo nihil pensatius, modos et incitamenta dant nobis  
laudandi tui. Et utinam ea mihi daretur facultas tecum vivendi, tecum  
emori vellem. Quid enim præstantius esse potest, quam cum viro omnibus  
fortunę corporis animique dotibus cumulatissimo, utpote ingenio perspi-  
cacissimo, memoria singulari, studio infatigabili uberique facundia vivere,  
qui sit extra omnem ingenii aleam positus et cuius opera ad unguem levi-  
gata a Momo quidem carpi nequeant. Plura alias. Doctissime Ioachime,  
veniet ad te libellus non illepidus Maffei Phegei, et ob festinatam  
Hieronymi nostri abitionem ex officina nostra elimatus exire non potuit.  
Te igitur non ut criticum, sed amicum censorem: an publicum doctorum  
conspectum mereatur? verecunde adibit; cui præcor pro tua modestia  
consulas, et mihi sæpius scribas; ego nuntium rependam. Vale et mutuiter  
me ama. Iterum vale. Raptim Cracovię. Anno 1511.

Rudolfus tuus mancipatissimus.

Venerabili ac erudito viro Ioachimo Vadiano, illustrium artium  
consultissimo, fautori suo adamato.

a) „concinniter“. — b) Für „immarcessibilis“. — c) „consecraneumque“.

1) Vrgl. zu Brief 10.

1511	R. Agricola an V'	III, 137 N. 3	
1511?	J. Gaspinian an V'	M. J. Mair	J, 143 N. 122.
1511?	J.	"	III, 295 N. 126.
vor 1512	Adr. Wolfhart	"	III, 286 N. 121. Gedicht
1512	V'an Tamstetter	"	III, 282 N. 119. 2
1512	V'an J. Reuchlin	"	III, 284 N. 120.

mk  
L4

→ mutuum